Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 419
Quelle:
Copyright:

a qua officium Missae de B. V. orditur, esse *Sedulii* nostri, legique L. I. *Novi Test.*

II. *fol.* 50. p. 2. sequitur: *Ymnus Sedulii.* Aliis *Collatio V. et. N. Testamenti*, aliis *Exhortatorium ad Fideles*, quo nomine cum Opere praecedente prodiit *Lipsiae* 1499. 4. et habetur etiam in *Cod. Taurin. supracit.* Est vero elegiaco carmine ita concinnatus, ut excepto primo Disticho idem sit Hexametri initium et Pentametri finis. Incipit:

Cantemus Socii Domino Cantemus Honorem &c.

Lucem deinceps vidit inter *Aldi Poetas Christianos.* 1502. 4. et saepius usque ad Edit. 1747. supra memoratam, quae nunc ad manum non est.

III. *fol.* 53. absque inscriptione *Hymnus* ἀκροστιχος ejusdem *Sedulii* Vitam Christi recensens, et partim Officio ecclesiastico in Natali Domini insertus, hoc initio:

A Solis ortus cardine Ad usque terrę limitem &c.

Extat etiam in *Bibl. PP. Lugd. T. cit.* p. 471. Ad calcem nobis haec leguntur: *Hoc opus sedulius inter cartulas dispersum reliquit. Quod recollectum adunatum atque ad omnem elegantiam diuulgatum est a turtio rufo asterio. ac exconsule ordinario atque patricio.* Erravit Librarius noster pro *V. C.* id est *Viro Clariss.* ponendo *ac.* Extat enim Nota mox adducta in pluribus *Codd. mss.* e quibus eam repraesentavit doctiss. *Norisius Dissert. IV.* ad *Cenotaphia Pis.* c. 1. §. 1. p. 437. ubi praeterea docet *Divulgatorem Hymni Seduliani* eundem esse *Turcium Rufium Apronianum Asterium*, qui cum *Fl. Praesidio* a. 494. Consulatum gessit, eoque in munere praestantissimum illum *Virgilii* Codicem *Laurentianum* emendavit et distinxit, ut ejus χειρογραφον *Bucolicis* subjectum testatur. Notam excipit in Nostro ejusdem *Asterii* Ogdostichon, quod incipit: *Sume sacer meritis* &c. et post *Sirmondum* exhibetur a *Norisio l. cit.* p. 437. Legas tamen in Codice: *ueracis dicta poete* pro *veracia dicta*, item: *O quam iustus ait* pro *Perquam.* Cuperem sane *Disticho* 3. legi etiam: *Cuius ope et curis* pro *cura*, ut metri ratio constaret. Ogdosticho adposuit Librarius noster: *Sedulius epistola macedonio premissa presbytero XVI. dehinc uersuum prologo lecturos inuitans paupertatem exilis ingenii holerum comparat uilitati.* Adludens videlicet ad ea:

At nos exiguum de paupere carpsimus horto,
Rubra quod appositum testa ministrat, holus.

IV.